

Aus v. Grubens. Auslin

N. 59.1.

DISPUTATIO THEOLOGICA I.

22

Ad locum

P S A L M I X X I I .

V. 23 --- 32.

Quam

A N N U E N T E D E O

S U B P R A E S I D I O

D A N I E L I S G E R D E S I I

SS. Theol. Doct. Ejusdemque Facult.

& Histor. Sacrae Prof. Publ.

H. L. Q. S.

D E F E N D E T

M A T T H E U S W I L H. A D A M U S R H O E R

A N G E R O - G E L R U S ,

Ad diem 20. Maii 1735.

23.



D U I S B U R G I ad R H E N U M ,  
Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.  
Anno ccccxxxv.

*PERILLUSTRI ATQUE GENEROSISSIMO  
D O M I N O*

**DN. STEPHANO  
COMITI  
DE RANDWYK,**

Libero Baroni in Homoet, Domino in Game-  
ren, Supremo Dynastæ, Judici, & aggerum præfe-  
cto in agro superiori Betaviensi, ad Foederati Belgii  
Ordines Illustrissimos Delegato Ordinario &c. &c.

*Ut &*

*NOBILISSIMO AC CONSULTISSIMO  
D O M I N O*

**DN. REINHARDO  
WERNERO LELY,**

Sacræ Regiæ Majestatis Borussiacæ à Consiliis,  
ut & Illustris Regiminis Clivo- Marcani Assessori & à  
Secretis Intimis, nec non rerum Ecclesiasticarum in  
Ducatibus Clivensi Juliacensi Bergensi & Comitatu  
Marcano Syndico.

Dominis suis Dignissimis & Fautoribus  
ad bustum usque Devenerandis.

Disputationem hancce Theologicam  
& se totum ea qua par est animi  
reverentia & submissione

Offert & Dedicat

M. W. A. RHOER  
Respondens.



## DISPUTATIO THEOLOGICA I.

Ad locum

Psalmi XXII. V. 23 -- 32.

### §. I.

Onstitueram ad *Historiam Apostolorum*, quæ à SPIRITU SANCTI Actuario, Divo LUCA conscripta est, *Observationes* quasdam condere *Miscellaneous*, cum opportune admodum illius promissi mentem subit recordatio, cui in *Dissertatione de Mysterio Baptismi Christi* §. XXV. p. 18. me quondam ante hoc septennium adstrinxeram, de explicanda scilicet ultima Psalmi vicefimi secundi Pericopa v. 23- fin. Eam igitur, cum ut fidem liberarem, tum ut hac ratione propter argumenti vicinitatem, viam veluti munirem ad ipsam illam *Apostolorum Christi Historiam* illustrandam, nunc, quantum nobis dabitur, hac & sequenti forte ventilatione Academica, explicare propius animo præconcepimus, cui ut instituto annuere velit bepnissimus DEUS, eundem veneramur suplices.

§. II. DAVIDEM, Virum per cuius os DEUS locutus est Act. IV. 25. in hoc Psalmo, CHRISTUM, ejusque Passiones & consequentes Glorias, atque adeo Mysterium Crucis, & Evangelium Crucis inter Gentes annuntiatur, pandere, adeò manifestum est, ex Historia Evangelica, & scriptis Apostolicis, ex

A

ipso

ipso Psalmi argumento, nulli mortalium ceteroquin applicando,  
 & ex testimonii, aequo JUDÆORUM VETERUM in Jal-  
 kut ad Jes. LX. atque CHRISTIANORUM cum veterum  
 tum recentiorum, ut pro mero obstinati animi indicio haberi de-  
 beat, quando vel inter Judæos quidam hic oculos claudunt, vel  
 etiam inter Christianos, HUGO GROTIUS, Vir alioquin  
 summus, & JOHANNES CLERICUS, novissimus Grotia-  
 narum hypothesum interpolator, hunc Psalmum literaliter de  
 Davide, typicè autem de Christo explicandum esse censem;  
 Quibus, ne actum agamus, aut Soli quod dicitur lucem accen-  
 damus, ut eamus obviam, aut argumentorum recensione veri-  
 tatem demonstremus, operæ non existimamus pretium.

§. III. Quin potius brevi quadam *Analysi* nobis ipsum PSAL-  
 MI repræsentamus *Argumentum*; Dispertiri hunc Psalmum, si In-  
 scriptiōnem, qua totum ejus breviter exhibetur *Argumentum*, ex-  
 cipiāmus, in duas Partes, ipsa phrasum diversitas docet; Enim  
 verò dubitari non potest, quin primo quidem MESSIAS ipse à v.  
 1-23. introducatur loquens, crucis mysterium in omnibus circum-  
 stantiis & ejus consequens, brevissime expōns. Ita ut deinceps  
 occurrat Concio Evangelica à v. 24-- fin. cum per APOSTO-  
 LOS in genere, tum per unum aliquem sigillatim APOSTO-  
 LUM GENTIUM habita; prouti statim videbimus enucleatius.

I. Ipse MESSIAS, dum Ecclesiæ veteri, imo etiam nobis per  
 Spiritum Propheticum, partim δέοντις τε καὶ ἀκετηριας πρὸς τὸν  
 Συναπευτὸν ὥστε αὐτὸν ἐν θαύμασι μετὰ πρωτηγῆς ιχνεῦσι καὶ  
 δακρυσιν προσφέρειν i. e. petitiones & supplications ad eum, qui  
 poterat eum salvum facere ex morte, cum timore valido & la-  
 crymis offerens, partim vero ἀσπενθεῖς ἀπὸ ἀλαζειας, i. e.  
 exauditus à metu, in scenam prodit v. 2 -- 23.

A. In ipsis dirissimis cum animæ tum corporis Passionibus,  
 DEUM PATREM Oratione gravissima, atque secun-  
 dum Patris voluntatem instituta, implorat v. 2 -- 22.

x. Instituendo Querelam, qua de desertione & denegata pa-  
 lulum exauditione ita conqueritur, ut simul paternam sibi  
 omni virium contentione experat opem. v. 2-11. Cujus  
 querelæ

- a. *Propositio* efficacissima, qua & summas animæ suæ enarrat angustias, & internum simul explicat mentis desiderium, ne indesinenti suæ orationi deesse amplius velit, juxta foedus suum & promissionem, DEUS, occurrit, v. 2. 3.
- b. *Justificatio*, v. 4 --- 11. Quæ
- a. In genere, argumenta auxilii non denegandi ponderosissima, ab ipsa Dei gloria depræmpta, sistit v. 4. 5. 6. siquidem
1. Id maximopere Deum deceat ejusque sanctitatem, quippe qui in vanum certe glorificari non velit v. 4.
  2. Ea quoque sit viarum Dei ratio, Patribus in angustia constitutis sed vera animi fiducia in ipsum reclinantibus, demonstrata, v. 5. 6.
- β. In specie, illa ipsa argumenta ad præsentem suam miserrimam applicat conditionem, quæ cumpromis, ne pudore suffunderetur exigere videbatur. v. 7 --- 11. ubi videmus.
1. Quo pacto profundissimam exinanitionis suæ commemoret abyssum, & simul quam omnium fannis per gestus & dicta demonstratis, exceptus sit & excipiatur, enarrat v. 7. 8. 9.
  2. Quo pacto perennem suam in Deum fiduciam, quæ nec vana fuerat unquam nec auxilio destituta, in argumentum certissimæ exauditionis adducat v. 10. 11.
- γ. Addendo duplicum *Supplicationem* vehementissimam, ut subito sibi Deus subveniat auxilio v. 12 --- 22.
- a. Prior est generalior, atque præcipue miserrimum atque auxilii omnis expertem delineat statum, sub quo succumbere tam sanctum Dei servum fas non erat v. 12 --- 20. ubi
- a. Supplicationem suam proponit v. 12.
- β. Eandemque urget per descriptionem profundissimi

A 2

miseria-

miseriarum, in quod deductus fuerat, barathri *v.* 13 --- 20, quando

**I.** Primo quidem, in quas cum corporis tum animæ sit redactus angustias, conqueritur *v. 13-16.*

**2.** Deinceps autem, quam ad mortem, mortem autem crucis secum jam res redierit, exponit *v. 17. 18. 19.*

**3.** Eandem inflaurat *v. 20.*

**b.** Posterior est specialior, & cum primis illud respicit imminens ipsi, cum in confinio mortis esset constitutus, periculum, quod & corpori & animæ Christi veluti intentari videbatur. *v. 21. 22.*

**B.** Exauditus à metu, atque resuscitatus è morte **DEUM** glorificat, simulque votivam Deo suspendit orationem, quæ se nomen divinum notificare fratribus & regnum cœlorum erigere, atque in eo laudibus & encomiis per universum mundum disseminandis gloriosam gratiam celebrare velle fidem facit. *v. 23.*

**II. Evangelica Concio**, quæ post Christum per passiones consummatum primò quidem populum Israëliticum, sed deinceps terrarum impletura esset orbem universum, occurrit à *v. 24-fin.* Qua

**A. APOSTOLI** ejus, universum Israelem in primis autem fideles ex Judæis invitant & excitant, ut agnoscant & celebrent Dei Triunus gloriam, quæ in ipso passionum Messiae mysterio, & in sufficientis auxiliis præstatione divina revelata erat *v. 24. 25.*

**B.** Quibus accinit veluti ac succinit singularis quidam in Ecclesia Apostolica DOCTOR, qui speciatim in Christo exinanito & exaltato gloriari poterat, quique vota sua, quæ nuncupaverat in Ecclesia se perfoluturum esse, præ reliquis animum inducere, censi poterat. *v. 26 --- fin.* Is igitur

**x.** Numero singulari de se testatur, quam & glorificare Deum vellet ipse, suamque in Christo unice collocare gloria-

gloriationem , & quam porrò vota sua coram cœtu fideliū exsolvere velit . v. 26.

v. Reapse invitat ad celebrandum Jehovæ nomen . v. 27-29.

a. Tales , qui jam inter mansuetos & querentes Jehovam nomen quoddam fuerant adepti v. 27.

b. Gentes sine ullo discriminē omnes , quæ cum omni regnū onivī ἔξοδα in manū Christi sunt traditæ , ut Regnum ejus inter eas erigatur . vs. 28. 29.

c. Vaticinatur de futura cum gentium plenitudine , tum Israëlis conversione sub finem seculorum plenaria . vs.

30. I. 2.

§. IV. Ex hoc igitur hujus Psalmi Argumento summatim exhibito , tres nobis colligere liceat in rem præsentem atque ad illustrandam nostram Pericopam facientes Observations , quarum prima est , verfu 23. CHRISTUM quidem , suum ad Deum Patrem continuare Sermonem , sed in longe alia quam antea , rerum facie constitutum , ἵστανθετα scilicet ἀπό της ἀλαζειας exaudiunt ab illo quo prius distinebatur motu ; Altera est , quod , secus ac doctissimi quamplurimi Interpretes , & inter eos ὁ παν ΚΟCCEJUS , Seculi superioris gloria , & nostri admiratio , censuerunt , existimenuit , Christum deinceps à v. 24 sq. non amplius in scenam produci , nisi in quantum APOSTOLIS suis verbum illud salutis atque Evangelium crucis concrediderat , sicque ipse per eos , loqueretur , & illi ejus Spiritu animati illud enarraret atque annunciatore fœculis futuris , & populo nascituro ; Tertia vero observatio ex superioribus recollecta est , inde à verfu 26. Novum quendam atque à reliquis præconibus & Apostolis Christi distinctum , sed singulari tamen gloria divinæ zelo ardenter introduci PRÆCONEM , ad annuncianendum nomen Christi , omnemque ejus & justitiam & gloriam Gentibus .

§. V. Enimvero , quod ad primam illam attinet Observatiō nem , ipsum versus illius 23. argumentum , cum superioribus querelis vehementissimis & petitionibus ardentissimis , quæ afflictissimum Melissæ statum vividissimis coloribus delineabant , collatum , satis luculenter evincit , novam rerum faciem hic occur-

rere, atque adeò lætiora hic depingi tempora, quando ENAR-RABO, inquit, NOMEN TUUM FRATRIBUS MEIS, IN MEDIO COMITII CELEBRABO TE; Qui antehac ludibrio erat habitus ab omnibus, & sannis exceptus à quibusvis videntibus ¶ 8. MESSIAS, is nunc se habere fratres profitetur, quos uti fraterno diligat amore, ita ab ipsis quoque fraterno affectu reciproco accipiatur; Qui antehac ex consilio divino, contemtus populi fuerat ¶ 7. & opprobrium hominum, is nunc se habere comitium atque in ejus medio versari, ita ut sibi quoque Doctoris munus non obsecare attribuat, affirmat: Qui antehac rebus in arctis summisque, adeo constitutus erat, ut salus esset longinqua: ¶ 2. ut non esset qui opitularetur ¶ 12. is nunc Nomen Dei propinquum, manifestatum, glorificatum, & à se glorificandum agnoscit; Qui antehac procubil ab omni semotus fuerat laudis materia, quippe qui meras fundere querimonias, & molem subire debuerat passionum, is nunc sibi laudis subnatam esse materiam pronuntiat, atque ut Sancto, qui habitabat gloriationes Iraelis, illic quoque sacrificium laudis offerre posset & juvencos labiorum.

§. VI. Neque autem quisquam dubitaverit, quin, cum CHRISTUS hæc loquatur, & superiora omnia usque ad minutissimas etiam circumstantias, uti ex Historia liquet Evangelica, in Iesu Nazareno, atque in ejus cruce, fuerint implera, nostra quæque hæc verba in ipso suum sortita fuerint completementum. Quid? quod omni prorsus tergiversationi morose PAULUS ipse incidat nervum & præscindat ansam in Epist. ad Hebr. II. 11. 12. verbis illis: Δι' ιν διτιαν επι παιχνιδεις (loquitur autem de Iesu Christo) αδελφες αντει παλειν, λεγων. ΑΠΑΓΓΕΛΩ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΣΟΥ ΤΟΙΣ ΑΔΕΛΦΟΙΣ ΜΟΥ, ΕΝ ΜΕΣΩ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ΤΜΗΜΗΣΩ ΣΟΙ. Propter quam causam nec ignominia dicit (Dominus) eos fratres vocare, dicens: ANNUNCIABO NOMEN TUUM FRATRIBUS MEIS, IN MEDIO ECCLESIE TE LAUDABO.

§. VII. Sed ut, cum hujus citationis Apostolicæ, tum ipsorum verborum summam mente complectamur, tribus quod ajunt verbis efficiendum est. Erat in eo Apostolus, ut evinceret verum

rum hominem esse debuisse Christum, qui humanis moveri affectibus, & affici posset doloribus, quo sic deinceps passionum ejus tanto exsplendesceret magis decentia, & quam passiones, supremæ ejus excellentiæ in qua demonstranda versabatur Apostolus, derogare nil quicquam possent; Quum autem quod Christus verus esse debuerit homo, partim ex typis comprobet, partim ex dictis V. T. tum videmus typicum illud argumentum vs. II. verbis: *O τε γαρ ἀγνῶστον, καὶ οὐ ἀγνῶμενος, εἰς ἵνα πάντες;* ita proponi, ut pateat, eum respicere, sive ad primitias, quæ totam sanctificabant messem, sive ad primogenitos, qui totam fratrum cohortem faciebant sanctam, sive ad Levitas & Sacerdotes, per quos totus Deo consecrabatur Israel, cum eisdem ex una excusis rupe, sive denique ad propitiatorium, quod Cherubinos gloriae, connexos secum sanctificare, dici poterat; In hisce enim omnibus, quædam quasi conspecta fuerat præludio Naturæ Christi Humanæ; Illud vero quod à dictis propheticis deprophetebat Apostolus argumentum, ex hoc ipso dicto nostro ita urgetur, ut ex eo colligat Apostolus; *Christum esse peculii sui ex hominibus sibi dati fratrem,* atque adeo ipsorum naturæ participantem, siquidem ipse hoc dixerit: *ΑΠΑΓΓΕΛΩ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΣΟΥ*

§. VIII. Votum igitur hic praconcipere CHRISTUM ex mortuis resuscitatum, liquet, quando inquit: *וְאַתָּה תִּרְבֹּשׁ לְמִנְחָה לְמִלְחָמָה לְמִלְחָמָה:* Quod esse bimembre nemo non videt: Per Nomen divinum, quod priori membro commemorat, uti in genere omnes intelligimus virtutes divinas, quibus se notum facit Deus, atque cognoscendum præbet, ita cumprimis eas hic nobis repræsentamus, quas in illo ipso Satisfactionis, & Consumptionis Christi per passiones, negotio demonstraverat, quæque ut peccatori revelarentur necesse erat, Sapientiam, Bonitatem, Justitiam, Sanctitatem, Omnisufficientiam &c. ex quibus omnibus ei debetur *Gloria*, quæ ipsa quoque Nomen ejus dicitur. Conf. Exod. XXIII. 21. XXXIV. 6. 7. Quas omnes dum se annunciarum sive enarraturum juxta emphasin verbi *υπό* pollicetur Messias, varia indigit; Complecti hoc nomen, & in illa

illa virtutum divinarum serie dari multa, quæ ō κοσμος & γηγενες  
 1 Joh. III. i. imo quæ hactenus non ita distincte atque dilucide  
 fuerant exposita, Αρπατα quædam, saltem quæ audita nondum  
 ita erant dum nos fuerat Jes. XXI. 11. quæ Μυσηοι χρονιοις  
 ανανεωσαντες Rom. XVI. 25. sisteabant, quæque oculus non-  
 dum viderat, auris nondum audiverat, nec in cor ullius ascenderant  
 1 Cor. II. 9. Hæc autem à se qui os Jehovæ erat, diffuse, in  
 omnibus suis circumstantiis, & accurate, juxta nativam mysterio-  
 rum ipsorum indolem fore revelanda, ut sanctificari possit no-  
 men JEHOVÆ; Neque verò se haec tantum manifestaturum,  
 tanquam ab aliis auditæ, sed, tanquam propriæ sua, quæque in  
 siu Patris viderat, ut articulate & perspicue ea evolvere posset,  
 ac per partes velut enucleare; Quod præcipue pertinet gloriosum  
 munera Domini Propheticæ post resurrectionem exercitium, id-  
 que tum quoad Apostolos, tum quoad reliquos electos; Hos enim  
 per Fratres Christi intelligendos esse fidei docet analogia; Tam-  
 eti enim carnis & sanguinis in genere particeps redditus fuerit  
 per incarnationem Christus, homo natus ex hominibus, tamen  
 strictiori significatu eos hic appellari fratres, quorum ipse factus  
 est per resurrectionem primogenitus, quique per ipsum ejusdem  
 Spiritus participes redditi sanctificati sunt, ex superioribus jam  
 colligitur, prouti præ reliquis huc ipsi pertinent Apostoli, Fra-  
 tres ejus qui dicuntur Math. XII. 48. 49. XXVIII. 10. quibus  
 Nomen Patris enarravit per passiones consummatus CHRISTUS,  
 tum quando eos proprius de mysteriis regni cœlorum instituit Luc.  
 XXIV. 27. 44. Act. I. 3. tum quando Spiritum S. in ipsos effu-  
 dit, qui eos in omnem duxit veritatem Joh. XVI. 13. quando eos  
 aptos reddidit, ad eloquendum magnalia Dei Act. II. 11. Veluti  
 in genere per prædicationem Evangelii fratribus reliquis, resur-  
 rectionis filiis, per prædicationem Evangelii Patris nomen, se-  
 que ipsum, in cuius medio Patris nomen erat, manifestavit, ut  
 tum quoque impleri jam ceperit illud Psal. VIII. 2. JEHOVA  
 Domine noster quam magnificentum est nomen tuum in universa terra,  
 qui maiestatem tuam collocasti in cœlis.

§. IX. Sed hoc illud est, quod posteriori membro נס עוז  
 alli

לְהַלֵּא uberius indigitatur, sive intueamur ipsum illud emphaticum  
 לְהָן quod Apostolus per Τυνεων non minus emphatice reddidit,  
 sive contemplemur locum & personas, quibus & ubi haec cele-  
 bratio Jehovae erat instituenda, qua phrasι לְהָנָה & בְּעֵדוֹ  
 אֲמָנוֹת indicate: Verbum enim לְהָנָה in Pihel eam habere si-  
 gnificationem constat ordinariam, qua laudationis, celebrationis,  
 prædicationis actus intensus pariter atque vehemens exprimitur,  
 præcipuumque habet objectum in Scripturis, DEUM, atque  
 Nomen ejus; Unde Pl. CL. 6. totus Psalmorum divinorum liber  
 hoc epiphonemate clauditur exhortatorio, וְלֹא תִּשְׁכַּח כִּי  
 Omnis anima CELEBRET DEUM; CELEBRATE DEUM:  
 ipseque DEUS Exod. XV. 11. tanquam לְהָנָה eti timendus lau-  
 dibus vel præconiis nobis describitur & in hoc ipso Psalmo nostro  
 vs. 4. appellatur לְהָנָה תְּהִלָּה שֶׁב Inhabitans laudes vel gloriae  
 Israelis i. e. habitans inter laudes ipsi ab Israele tribuendas: Ne-  
 que ab hac emphasi verbi לְהָנָה abudit verbum Τυνεων quod usur-  
 pavit APOSTOLUS, cum ignotum non possit esse cuiquam,  
 id quod THOMAS MAGISTER in Eclogis vocabulorum Atti-  
 corum p. m. 111. tradit: Τυνεων de Deorum & ἐγκαρπια de ho-  
 minum laudationibus usurpari, quamvis ipsum verbum Τυνεων af-  
 ferat idem ἐπιθετικον occurere: Et quis nescit Hymnos  
 antiquissimum Poeseos genus, quo Deorum laudes contineban-  
 tur? unde de iis THEOCRITUS Idyl. XVII. 8. Τυνεων δέ καὶ  
 ἀθανάτων γέρας ἀντων Hymni enim Immortalium etiam sunt præ-  
 mium; Quis CALLIMACHI nescit Hymnos in Jovem, Dia-  
 nam, Apollinem &c. tanto eruditione reconditæ apparatu ab Il-  
 lustri Viro EZECHIELE SPANHEMIO illustratos? Ne  
 MENANDRUM Rhetorem ab Aldo editum qui ab initio tra-  
 status de divisione των ἐπιστημων p. 594. de Τυνεωις sive Deo-  
 rum laudationibus continuo agit, in scenam hic producamus?  
 Adeo ut MESSIAS quando se laudaturum esse DEUM fidem fa-  
 cit, id cum primis indigiter, se decentias supremi Numinis intus  
 perspectas habere, easque tales esse & tantas, ut eas celare aut  
 celare velle non possit, quin potius, eas omnium celebrazione  
 dignas esse; se experimento didicisse, quanta sit JEHOVÆ be-  
 nignitas

*signitas erga eos qui suam in eo fiduciam habent repositam, quanta DEI in salutis negotio fidelitas, & quanta ipsi nunc cum primis post consummatum salutis negotium laus debeatur & gloria, quam ipse lubenter DEO exhibere percuperet, ita ut simul alios quoque excitaturus esset, qui gloriam nominis divini agnoscentes, eandem celebraturi essent ac uno ore proclamatui, quod DEUS esset timendus laudibus; sive sacrificium laudis oleo Spiritus delibutum ipsi essent oblaturi.*

§. X. Verum enim verò, dum se id ἡπτη τῆς ἐν μεσῳ ἐκκλησιᾳ, facturum, spondet, nemo non videt, eum ita docere velle, quam nunc populum, per passiones consummatus, accepit εἰς πρεσβοτον, comitium quoddam, & concionem electorum ex Iudeis & gentibus per totum mundum, uno verbo ECCLESIAM ad quam ἡπτη τῆς ἐν μεσῳ τῆς ἐκκλησιᾳ, quomodo dies dicitur quo Deus cum populo suo locutus est ad montem Sinai, Deut. IX. 10. X. 4. XVIII. 16. locuturus esset, & in ejus ore verbum laudis & Evangelii præconium esset daturus, legem Dei in medio omnium positurus Jerem. XXXI. 33. & labium clarum conversurus ad gentes Zephan. III. 9. Quod omne quomodo sub principio cœconomiae novae ab ipso CHRISTO factum fuerit, & quomodo hoc ipsum nunc quoque fiat in congregationibus justorum, demonstratione luculenta non indiget. Collegit enim JESUS CHRISTUS sibi ecclesiam, quæ perpetuo Deum agnoscat ac celebret, per narrationem nominis divini ita adiuvatus est Fratrum Christi numerus, ut ECCLESIAM & congregationem magnam constituat, in qua universos sua voce & exemplo excitat, ad celebranda Dei beneficia.

§. XI. Neque adeo mirum est, quod CHRISTO ex mortuis suscitato votaque sua solventi Deo statim quoque vs. 24. & 25. succinunt fratres ejus, APOSTOLI cum primis, ναὶ τῷ Πνεύματι Ιερουσαλήμ ναὶ ἐχαρεῖ της γῆς Act. I. 8. Ut non dubitemus quod Observatione secunda §. IV. jam monuimus; Evangelicam hic pandi Concionem, quæ primo quidem populo Judaeo, cum ex Sione Lex Evangelii quoque deberet prodire, nec dece-

deceret CHRISTI contubernales, adeò cito relinquere *Judaicam gentem*, electam quondam, & ab omnibus segregatam nationibus mundi, facta est per *Apostolos*, quaque invitabantur, uti ex vs. 24. & 25. liquer, reliquia feminis Jacobi, ut agnoscant & celebrent DEI TRIUNIUS gloriam, quæ in ipso passionum Messiae mysterio, & in sufficientis auxiliis præstatione divina revelata erat: Quos invitavit hi *Præcones* ad laudes JEHOVÆ extollendas, dicuntur *Timentes JEHOVAM* וְיָהִי itemque בַּל אֶפְרַיִם יְהִי וְיָהִי כָּל omne semen Jacobi & omne semen Israelis. Judæorum hic præterimus ineptias à Clar. RIVETO citatas, per *Timentes Deum* sacerdotes, per *semen Jacobi* Levitas, & per *semen Israelis* omnes Israelitas, intelligentium, & temere innorum loco Ps. CXXXV. 19. Atque in genere tantum notamus, personas qui primò generalius per יְהִי וְיָהִי *timentes Jebovam* indigitabant, propius statim per יְהִי וְיָהִי כָּל omne semen Jacobi & omne semen Israelis determinari, sive indicari, quam hæc prior concio Evangelica potissimum concernat nationem *Judaicam*, & reliquias in ea juxta propositum Gratiae, contradistincte ad *Gentes*, de quibus vs. 28. seq. Veluti ipsum quoque hoc *Jacobi & Israelis semen*, ipse haec ex gente Judaica reliquias, ab altera parte, per illam priorem descriptionem accuratius designantur, illos nimirum ad hanc laudem nominis divini incitari solos, qui inter Israelitas & Jacobitas *timebant Dominum*, atque Reverentia Numinis divini tangebantur: *Timor Domini* uti verum exprimit omnis cultus Dei principium, ita fidem includit cum animi submissione sive abnegatione sui, propter summam Dei ὑπεροχην, propriamque dependentiam, unde famæ & sitis consolationis propullunt, itemque cauta sollicitudo & attentio ad defungendum rite omnibus officiis, quæ Lege Dei præscribuntur, ne removeatur anima ab ejus facie, que sola animæ lux est, neve iratum eum sentiat, aut ejus judicia experiri cogatur Job. XXXI. 23. Qui ipse timor filialis sigillatim *Deum* in illustri illo τεραγγελιμων οντι, JEHOVAH, habet pro objecto, i.e. tanquam talem, qualem se exhibet in fœdere gratiae, & ad quem timendum eò magis obligantur fideles, quo magis ab ejus veritate

tate omnium promissionum implementum exspectatur; Unde simul colluccescit, quomodo speciatim fidelibus N. T. sigillatim vero illis cumpromis hic timor competat, qui sub N. T. principio jam primariae promissionis implementum in ipso per passiones consummato & ex mortuis resuscitato Messia acceperant, quibuscum super sacrificio Messiae erectum erat foedus, qui quam ipsi Messiae in passionibus gravissimis adfuerat Deus & quam repentinum patiter ac sufficiens ipsi auxilium praefliterat, experti didicerant, unde simul, quam idem ille Deus Triunus ad complendum Gratiae negotium, sibi, tametsi consiliis essent inopes & derelicti ab omnibus, non defuturus esset, πληροφορως colligere debebant.

§. XII. Per omne semen Jacobi, & omne semen Israeli, ut ex ipsa liquebit Analyti, superius data, hic eos intelligimus, qui secundum carnem ex Jacobo geniti sunt, & Israeli erant filii, ita tamen ut ad Jacobi filios per promissionem, quoque pertinenter, ad eos qui uti ex Israele erant, ita ipsi quoque Israel Rom. IX. 6. Neque enim omnes qui ex Israele erant hic in censum veniunt, neque ad eos omnes hic sermo dirigitur, sed ad timentes Deum inter eos, idque absque ullo discrimine, modo timoris scintillas cordi inclusas gererent, atque reverentia nominis divini tangarentur: Quod hi timentes autem, qui primitiae futuri erant Ecclesiae N. T. sigillatim quoque semen Jacobi dicuntur, id fieri propterea notandum est, ut se primogenitos esse, atque pertinere ad ecclesiam πρωτοτοκων εν ερανοις απογεγραμμενων Hebr. XII. 23. non ignorarent, simul vero etiam addiscerent quam ipsis inumberent, eō omni virium contentione anniti, ut promissionem adipiscerentur: Veluti porro, quod distinctum semen Israeli appellabantur iidem, docere nos potest, veros hic intelligi, & genuinos Israeli, quod ab ipso Deo nomen Jacobo datum erat in memoriale luctae cum Deo forti filios; qui fidei paternae vestigia legentes, cum Israele Patre suo expectaverant salutem Iesu Christi, qui robur fidei exsurerant, atque in lucta spirituali, quam subiverant, victores evaserant, ut sese juxta vaticinium Jes. XLIV. §. nominare possent nomine Jacob & cognominari nomine Israeli.

§. XIII. Hos omnes invitari ab Evangelii praconibus, ad celebra-

celebrationem *Jehovæ*, glorificationem ejus, & pavorem coram ipso  
videmus: verbis vers. 24. p. post. כְּבָרְתָּהוּ, & מִמְנוּ כְּבָרְתָּהוּ, &  
Celebrate eum, glorificate eum, & metuite ab ipso, additis simul ra-  
tionibus prægnantissimi vers. 25. quæque, quod COCCEJUS  
noster ad h. l. jam observavit, tametsi ad omnia tria præcepta  
possint accommodari, tamen singulariter ad singula singulae con-  
spiciuntur accommodatae; ita ut prior ratio יְהֹוָה אֶלְيָהּ  
Non enim spreuit nedum abominatus est passionem inopis spe-  
ciatim ad celebrationem, altera נָאֵן סְכַרְתָּהוּ Neque abscondi-  
dit faciem suam ab illo, ad glorificationem, & tertia denique ratio  
Et cum quiritaretur ad ipsum audivit, ad illum sa-  
erum timorem coram Deo potissimum respiciat:

§. XIV. Nemo non videt, quam CHRISTUS à metu ex-  
auditus, & per passiones consummatus, laudis materiam submi-  
nistret timentibus Jehovam ex Judæis, Ecclesiae primogenito-  
rum & Israelitis Novi Testamenti genuinis: Est igitur CHRI-  
STUS, qui nobis sub nomine ϕ in hoc vaticinio depingitur,  
quod quomodounque accipiamus, genuinam Messiae indolem  
nobis fistet atque conditionem, sive illud per mansuetum inter-  
pretetur atque mitem, sive, quod hic proprius in censum venit,  
quodque potius per vocem Hebraicam designatur, illud per pau-  
perem reddamus; Utraque enim & paupertatis & mansuetudinis  
notio, in Christo veluti coaluit, prout utraque etiam in genuinis  
ejus affectis coalescere debet, quod ad ϕ. 27. docebimus. Non  
semel is in verbo Propheticō sub pauperis & egeni nomine nobis  
repræsentatur, uti Psal. XL. 18. ubi יְהֹוָה אֶבְיוֹן & ϕ conjunguntur,  
conf. Psal. LXIX. 30. & secundum nonnullos Psalm XXXV.  
10. Imo Zach. IX. 9. Messias Rex ϕ futurus prædictur, quod  
Math. XXI. 5. per πτωχος redditur, ut quam bene humilitatis &  
mansuetudinis notio simul cum illa altera paupertatis coalescat, in-  
digitetur: Non semel de Servatore nostro Domino J. C. Paulus  
vocabulo πτωχος utitur 2 Cor. VIII. 9. omniaque quæ de Jesu  
Christo in Evangelii sunt revelata, eum quoad corpus pauperem  
& inopem quoad animum mansuetum & mitem fistunt: Ipsique  
Judæi veritatis tacti radiis diffiteri non possunt MESSIAM pau-  
perem

perem quoque exspectari, quo illa cum primis faciunt verba in Gemaara Sanbedrin fol. 98. col. 1. quae non possumus non adducere  
*Dixit R. Alexandri R. Iebosuam filium Levi objecisse scriptum est*  
*Dan. VII. 13. Ecce in nubibus cœli veniet sicut filius hominis;* &  
*Zach. IX. 9. Scriptum est, pauper & inequitans asino:* *וְכֹה עַמּוֹד יְהוָה לְאַתֶּךְ וְעַמּוֹד יְהוָה עַל כָּסֵד*  
*Si mereantur venient in nubibus cœli, si*  
*non mereantur pauper & equitans super asinum.* Quidquid sit cum  
*paupertatem Christi Satisfactionis negotium efflagitaret, tum ipsa*  
*personæ dignitas & intemerata Mediatoris sanctitas ejus efflagi-*  
*tabat mansuetudinem pariter atque humilitatem, quæ illa animæ*  
*paupertas est, quam imitari decet genuinos Christi discipulos,*  
*cum ceteroquin paupertatem sectari velle, sit officia charitatis*  
*erga proximum sufflaminare, atque pertineat ad ἡθελοθρησκείαν*  
*Deo exosam.*

§. XV. Verum enim vero, laudare Deum triunum ejusque  
*nomen celebrare* debebant timentes Dominum propterea quod *Messias*  
*passiones* antea per totum Psalmum prædelineatas non sprevrerat  
*Deus, nec abominatus erat;* Per vocem οὐν, quæ semel tantum  
*hoc loco occurrit, quamque LXX. per δέσιν vertunt & Judæo-*  
*rum Interpretes per clamorem, omnino, totam illam intelligi-*  
*mus miseriā, quam pro redimendo genere humano in se suscep-*  
*pit Christus, quamque per δέσις & ιερηποιας Hebr. V. 7. ματα*  
*ρευματικούς καὶ διαρκεῖς quoque demonstravit, ut quidquid*  
*ad passionem ejus pertinet, huc referri debeat, totum Messiae sa-*  
*cificium, quod Deo obtulit; Id non sprevisse Deus dicitur procul*  
*dubio per λιτότην: ut notetur quod Deus illud accepit tanquam*  
*τύμπον αἷμα, quod acquiescentiam suam in eo fuerit testatus, quod*  
*odoratus fuerit hoc bonæ odoris sacrificium atque in eo compla-*  
*cuerit; porro, quod clamorem ejus exaudiverit gratiose, atque*  
*ad illum attenderit, est enim attendere ad aliquid idem quod non*  
*spernere Pial. LXIX. 34. & denique, quod ipsam Messiae perfo-*  
*nam, paterna cura fuerit prosecutus, tutela, atque defensione.*  
*Sed & non abominatus est γεννήτη, ea quæ vidimus omnia, DEUS,*  
*quæ phrasis cum ipsis λιτότητος exaggerationem dicat, simul*  
*apparet, quam id indigetur, quod illud sacrificium Messiae tan-*  
*quam*

quam singulare <sup>כִּי</sup> receperit Deus, ejus hostiam tanquam hostiam sanctissimam acceptaverit, ad ejus preces tanquam suffitum sibi gravissimum attenderit, totamque personam gratiore pariter atque honorifice aspicerit, ut tametsi a proceribus Iudeis factus ipse esset <sup>נֶבֶל</sup> cadaver, mors tamen ejus pretiosa esset in oculis Domini: Quæ omnia quantam veris fidelibus materiam laudis suppeditent, non est quod pluribus jam explanemus.

§. XVI. Quando verò etiam addunt Apolloli, quod glorificandus esset Jehovah, quoniam <sup>כִּי</sup> כהן אֱלֹהִים non absconderat faciem ab illo sc. inope, s. Messia, in statu passionum atque paupertatis constituto, unusquisque videt, quam denuo majora significantur, tametsi minora recenseantur; In eo enim quod negative dicitur Deum non abscondisse faciem suam ab illo, positive gratiosa faciei Jehovah retectio & illuminatio repræsentatur, quod lucem faciei sua elevaverit super ipsum, gratia sua & favore eum fuerit amplexus, tum, cum maxime opis erat indigus; locutione depromta ab hominibus faciem suam à re vel persona ingrata avertentibus, aut frontem saltem nubilam & corrugatam ipsis exhibentibus, è contra verò exponeret præbentibus faciem, atque serenam, faciemque suam convertentibus ad rem personam-ve acceptam & favore dignam: Neque autem, quod hic Deus dicitur non abscondisse faciem suam à Messia, id adversari potest ipsi Messiae in passionibus querelæ, juxta vs. 2. & seq. Squidem, nec in perpetuum, sed paululum, nec, nisi, ut tanto majori gloria coronaretur, desertus fuerit Christus, ita tamen ut Deum quoque Deum suum in summis appellare posset angustiis, veluti ipsa quoque in gloriam evectio, hac phrasi retectionis faciei Jehovah nobis exprimitur, quæ signum erat auxilium ipsi non fuisse denegatum: Quæ res, quam denuò glorificationis præberet materiam, atque semen Jacobi, ecclesiastique primogenitorum sub principio Novi Testamenti instigare posset ad honorem Deo tribuendum & gloriæ pondus ipsi adscribendum, norunt illi, qui reiecta facie gloriam Domini κατοπτρούσιν, ad eandem illam transformantur imaginem ἀπό δοξῆς εἰς δοξαν, καθαπέρ ἀπό κύρου πνευμάτως. 2 Cor. III. 18.

## §. XVII.

§. XVII. Sed & ut reveretur Deum semen Israëlis, mōnēt Resurrec-tionis Christi præcones, quoniam Deus יְהוָה יְהוָה cum quiritaretur Messias ad ipsum, eum exaudiverat: Quis non eum reveratur Dominum cuius adēd tremenda est sanctitas, ut à proprio quoque exegerit filio peccatorum debita, antequam suas obſcuraret aut obſcurare pateretur virtutes? Qui non sacro quodam percilleretur timore atque tremore coram illo Domino? qui adēd rigide suum prosequitur jus, & δικαιομα Legis, quod est δικαιομα τε Θεος; & adeo tamen etiam benignum se exhibet Deum & Patrem, ut suo tempore quoque faciat præterire passionem calicem, ut non derelinquat suos ad se venientes, ut opus tantum salutis ut perficeretur efficerit, dum exaudiverat Messiam ad se clamantem: Quis illum non & neminem alium metueret? qui audiverat & exaudiverat Christum ad se clamantem, quando is à Diabolo, uti nervosè COCCEJUS, & toto mundo oppugnabatur. Qui Christum audivit, audiet & nos: qui illi sufficit & nobis sufficiet ad omne bonum, contra omne malum; Uti enim ab exauditione Patribus facta ipse CHRISTUS ἦ. 7. 8. argumentum petit suę exauditionis, ita sane fideles, Israelitae veri, ab exauditione Messia & Patribus facta, argumentari poterant, sibi quoque, modo in lucta pergerent & constantes permanerent, non defuturum Dei auxilium nec defuturam exauditionem plenariam; Quæ meditatio, ut juxta Pf. L. 15. Deum quoque invocarent in die tribulationis, & εἰ φοβοῦ τὸν της Παροικας θεον transigerent, 1 Petr. I. 17. eos instigare poterat.

§. XVIII. Iisdem verò argumentorum nervis post Domini Nostri J. C. resurrectionem APOSTOLOS suam intendisse orationem ad religiosos & ἑναλθεις Act. II. 5. ex Judæis potissimum directam, ex ipsa Historia colligitur APOSTOLORUM: PETRI concilio Pentecostalis, de Resurrectione Christi, quem exaudiverat quem paululum exinanit honore & gloria coronaverat, cuius Sacrificium & Perfprmam nec sp̄reverat nec abominatus fuerat Deus, eum faciendo & declarando Act. II. 36. Κυριον καὶ Χειρον, cum habebat effectum ut laudarent Deum Act. II. 47. ejusque celebrarent gloriam, fieretque πάσιν φυλη φοβος Act. II. 43. PETRI & JOHANNIS Act. III. & IV. Orationes codem pertinebant, atque etiam sacram quendam coram Domino timorem excitabant in audiētibus, ut etiam locus Act. IV. 31. εὐ ώνον σύντηγμενοι concuteretur, καὶ ἐπληθων αἴπαντες πνευματος σύρι, καὶ ἀλλεν τὸν λόγον τε Θεος μετὰ περβίους. Ne de APOSTOLORUM scriptis in genere quidem ad universam ex Judæis & gentibus collectam ecclesiasticam spectantibus, in specie tamen ad Judæos & timentes Deum ex iis dilectis, quicquam loquamur, quippe quæ JESUM ubi vis exhibent Nazarenum, Sacro Spiritu ac potestate à Deo unctum, ex mortuis resuscitatum & εἰσακοδεντη ἀπὸ ἑναλθεις.

F I N I S.

LXXX.

## ANNEXA DEFENDENTIS.

- I. **A**DAMO in statu integritatis Trinitatis mysterium non ignotum fuisse sit probabile.
- II. Ne Angelorum quidem creatio Moysi est prætermissa, quamvis, quod primo die sexidui pulcherrimi creati fuerint, ex aliis colligamus Scripturæ S. locis.
- III. Vocabulum כָּרְבָּא Psal. XXII. 17. verti debet per sicut Leo ille; Leonis vero emblema in Historia Passionis Dominicæ stebat Pilatum.
- IV. Math. XXII. v. 12. per hominem non indutum ueste nuptiali intelligimus Papam Romanum à vera fidei professione, atque ab externo quoque pietatis charitatis exercitio alienum.
- V. Fœdus Sinaiticum non tertium quoddam inter naturæ & gratiæ fœdus intermedium exhibet, sed novam solummodo atque umbratilē fœderis gratiæ sifist economiam.
- VI. Mariam Virginem ex propria Davidis ortam fuisse, adversus Socinianos Defendimus.
- VII. Fundamentum electionis non esse fidem prævisam meritum quidem Christi apprehendentem sed ut opus tamen hominis spestatam, adversus Arminianos tuemur.
- VIII. Præcepta Legis Ceremonialis, cultum Leviticum spectantia non ex ritibus idololatricis antiquissimarum gentium derivari debere adversus Spencerum & ejus similes docemus.
- IX. Verum Samuelem à Pythonifera Endorea excitatum fuisse negamus.
- X. Solam nos fidem justificare adversus Pontificios afferimus.
- XI. Sanguinis & suffocati interdictum neque ex jure naturæ derivari potest, neque Christianorum quenquam obligat.
- XII. Melchisedecum ipsum Filium Dei fuisse verosimillimum est.

F I N I S

C

ANN

AAN DEN HEERE  
DE HEER  
MATTH. WILHELMUS  
ADAMUS RHOER,  
Op zyne Redenkaveling over den  
XXII. Psalm.

**G**een Kunst of eed'le Wetenschap  
Is ooit zo luisterryk verheven,  
Dat een die zig wil Moeite geven,  
Niet opftigt tot een hogen Trap,  
Om haar Geheimen na te spooren,  
En stellen in een helder Licht;  
Zo lang geen Vlyt voor Traagheid zwicht,  
Zal niets den Voortgang kunnen storen.  
Dog 't is ook waar! wat Naarstigheid  
Men aanwend in het onderzoeken,  
Zo blyft'er in verholen Hoocken  
Jets over, 't geen eerst door den Tyd  
Word van den Na-Neef uitgevonden;  
Hoewel die de eerste Grondslag legt,  
Den naam als Stichter, en met recht  
Verdient, dewyl men op zyn Gronden  
Slegts heeft gebouwt, en 't ligter is  
Om by 't gevonden iets te voegen,  
Als dat men eerst door naarstig zweogen,  
't Begin haalt uit zyn Duisternis.  
Dus kan de Jeugd dan 't veiligt treden,  
Om 't Pad der Wysheid in te slaan,  
Op 't Spoor van die zyn voorgegaen  
Met onvermoeide en ny're Schreden;

En

En naderende daar wel eer  
 Zyn Voorzaad 't onderzoeken steken,  
 Of door de Dood liet in Gebreken,  
 Als die te vroeg hem wierp ter neér,  
 Dan weet men, steunende op die Gronden,  
 Hoe dat men verder soeken moet,  
 Tot zig in 't Eind zyn Wensch voldoet,  
 En 't lang gezogte word gevonden.  
 Zo volgt hier ook een ny're Zoon  
 Op 't Voet-Spoor van zyn brave Vader,  
 En toont wat Bloed hem door zyne Ader  
 Steets stroont, en streeft hem na de Kroon.  
 Heer RHOER, ontziende Dag nog Nagten,  
 Zelfs van zyn ted're Kindsheid aan,  
 Om in Geleertheid voort te gaen,  
 Deed altoos ons iets groots verwagten:  
 Waarvan hy reets de Blycken toont,  
 Nu hy met zo veel Drang van Reden  
 Tot Overtuiging, weet te ontleden  
 Hoe Vorst Messias wierd gehoont,  
 En moest door zo veel bitter Lyden,  
 Op dat wy van den Dood bevryd,  
 Ten Leven wierden ingeleid,  
 Den Weg der Zaligheid bereiden.  
 Al is 't den Joden Ergerenis,  
 Die opgeblazen van Gedachten,  
 Geen nederigen Jesu wagten,  
 En dat 't den Griek een Dwaasheid is!  
 Zo roemen wy nogtans in 't Sterven  
 Van desen Gods geliefde Zoon,  
 Die nu zit op zyn's Vaders Troon,  
 En ons de Levens-Kroon doet erven.  
 Komt dan o blinde Joden! leert,  
 (Zo gy het Leven wilt behouwen,  
 Gelyk dé Vaders,) dan vertrouwen

Op Jesus, van ons hoogst geëert.  
 En gy o afgedwaalde Heiden!  
 Zo gy uw Zielen Heil bemint,  
 Dat niemand als in Jesus vind,  
 Zo eerbied dan zyn dierbaar Lyden.  
 Dus roept myn Jonge Boet - Gezant  
 U toe, en zoeckt u af te trekken  
 Van 't Spoor, dat u ten Val zou strekken,  
 En leid als 't ware u by de Hand  
 Om op het Hemels - Spoor te treden,  
 Op dat uw Ziel de Zaligheid  
 Geniet, die Jesus heeft bereid;  
 Volgt dan met onvermoeide Schreden.  
 Zyn dit o wel geleerde Heer!  
 Van uw Geleertheid de eerste Vrugten,  
 Wat heeft men dan niet groots te dugten,  
 Als gy in 't openbaar uw Leer  
 En Predik - Ampt eens zult verrichten?  
 Of als een trouwe Wachter staan,  
 Om Gods Gemeente gaa te slaan;  
 En helpen Sions Muuren stichten?  
 Dan zien wy als een Flonker - Ster  
 U, als wel eer uw Vader pralen,  
 Aan 't Kerck - Gewelf met Schitter - Stralen,  
 En lokken Zondaars, die nog ver  
 Afdwalen, en in 't duister waaren,  
 Vervreemt van 't ware Levens - Licht,  
 Om weer te keren tot hun Plicht,  
 Haar Zielen voor 't Verderf te sparen.  
 Dus Kroon de Alzegenaar dan 't Werck!  
 En wil u met zyn Gunst bestralen,  
 Zyn Geest op u doen nederdalen,  
 Tot Opbouw van zyn Naam en Kerck.

J. A. V. O.

fd 3984

ULB Halle  
002 164 590


3




TA - OL

V317

M.



# Farbkarte #13



THEOLOGICA I.  
 cum  
 I I XXII.  
 -- 32. Typis o. B. 1735.  
 reu. spiculatio Dant.  
 n o in tunc quodam  
 Oribit  
 TE DEO  
 S IDIO  
**GERDESII**  
 usdemque Facult.  
 e Prof. Publ.  
 Q. S.  
 U D E T  
**ADAMUS RHOER**  
**GELRUS,**  
 Maij 1735.  
 RHENUM,  
 Academiæ Typographi.  
 CCXXXV.